

V C  
230





F.K. 34

# De gladio electorali

Vc  
230

I. N. J.

AD ACTUM  
PANEGYRICO  
VALEDICTORIUM

I. N. J.  
AD ACTUM

# PANEGYRICO VALEDICTORIUM

M. DC. LXXXVI.

## XXII. APRILIS HABENDUM

PATRONOS, FAUTORES & AMICOS,  
QVI PIETATEM ÆSTIMARE  
SOLENT,


*OBSERVIOSO CULTU & REVERENTIA  
IT INVITATUM*

Joh. AUGUSTINUS EGENOLFUS,  
CRUCIANI RECTOR.

## DRES DÆ,

*Typis Viduæ ac Hæredum Bergeniorum.*





*Ccingere gladio tuo super femur, ô*

*Heros, hæc enim gloria tua, hic decor tuus,* Psaltes

ait regius Psal. XLV, 4. Qvæ Christo de Rege, cu-

jus regni, cum non sit de hoc mundo, finis hauderit,

intelligenda esse, non tantum Doctores consentiunt

plerique omnes. Luther. tom. V. Altenb. f. 500.

& tom. VI, 381. Gesnerus & Geierus in h.l. Calo-

vius, d. 25. Februar. hujus anni beatè defunctus, con-

tra Grotium in eundem. Coccejus etiam, nobile

reformatos inter Theologos nomen, Judaizanti Cal-

vino, qvi Psalmum XLV. primò & secundum literam de Salomone Pharaonis filiam uxorem ducente intelligendum esse scriperat, contradicit, & ex

eruditis Rabbinorum, qvalis David Kimchi & Abraham Ben Esra de Messia

exponendum demonstrat; sed & ipse Spiritus Sanctus indicem hic inten-

dit digitum, qvando versum 7. & 8. hujus Psalmi de Christo accipiendum do-

cet Hebr. 1, 8. 9. Sensus ergo est: Accingere ô Rex Messia, qvi Heros es,

**רַבָּה** Princeps potentissimus, Esæ. IX, 6. super femur, (dextro lateri gladium

prisco ritu apud Romanos & Gallos alligatum fuisse ex Polybio docet Lip-

sius de milit. Roman. III. dialog. 3.) ut fortissimos hostium, Diabolum, Mor-

tem & Infernum devincas; neqve inanis erit ista gladii gestatio, qvalis qvan-

do puerum illi videmus alligatum, sed pariet tibi gloriam & decorem.

Qvamvis ergo verba nostra, ut & integrum Psalmum XLV. de Christo agere planè dubium non sit, haud tamen peccabimus, sano si sensu eadem ad Electores Saxoniæ referamus, qvorum in insignibus non tantum duo inter eminentia reliqua conspicui sunt gladii dignitatis imperialis, qvallem Majorum plurimi, qvorum gloriofa in benedictione memoria, Cæsariis suis, qvibus post Deum semper fideles fluxam nunquam gesserunt fidem, & qvidem non nisi ab illic proximi, dominante manu, aureo vi Bullæ, prætulerunt; verum etiam illorum qvidam impetuosoſos irruentis utriusq; Antichristi gregis impetus non modo sustinuerunt & represserunt, sed & oppreserunt fortissime, ut nebularum instar, qvæ dissipatae & discussæ evanescent oriente Sole, viso Electoralis gladii fulgure, qva via data, turbatam effundere cogerentur multitudinem & lupi & leones.

Quemadmodum ergo omni Magistratui datus est à DEO gladius, qvem, ut delinqventibus pro delictorum qvalitate pœnas irrogare, obediens autem fovere & præmiis afficere possit, gestat DEI minister; ita imprimis Electoribus Saxoniæ creditus ille est divinitus, & vel ab Ottone III. qvod putatur vulgo, vel etiam IV. in perpetuam oblatus est continuationem, velut *Jus necis vitæque civium*, ut Tacitus de pugione Cæsareo loquitur Histor. III. 68. ut non tantum vindicta sit justitiæ, qvæ fulcrum est & columnatotius terrarum orbis; sed & hostes Christiani nominis & sacri Romani Imperii, tristem avertat in fugam, & timidis illorum tergis inhæreat fixè. Vid. P. Albin. Chron. Misn. T. 16. p. 435. Hinc animosus ille MAURITIUS, hinc magnanimus JOHANNES GEORGIUS I. cum in ista incidunt tempora, qvæ gladium vagina vacuum, & bellicam fortitudinem exposcebant maximè, pro vera in Christum fide & libertate Imperii rebus gladio suo gestis brevi se illustraverunt, adeò ut invictos tam fortium bellatorum animos obstupecserent hostes, & Ecclesiæ per Germaniam sparsæ halcyonia, Reipubl. verò optata pax & tranqvillitas, qvâ nihil salubrius, nihil beatius in terris cogitari potest, parta jam & defensa præstarentur æterna. Bellicos qvorum ausus ad Viennam imitatus est, rerum qvi jam potitur, Serenissimus JOHANNES GEORGIUS TERTIUS, incomparabilis Pater Patriæ, Dominus noster clementissimus, de quo alio actum à nobis tempore.

tempore.. Non enim, ut Cn. Pompejus hostiles videns catervas corde  
gelato stetit attonitus, Lucan. Pharsal. VII, 338. nec ut Pythagoras, Laconum  
præfectus, qvi pavorem injectum visis Romanis dissimulare non poterat,  
Liv. XXXII. 25. nec ut aliis qvidam lepus galeatus turpi fuga suæ consu-  
luit saluti, sed venit, vidi, vicit. Ipsum ergo in Academia Kiloniensi Joh.  
Dan. Major Orat grat. d. 2. Septembr. 1684. habita Duce fortē & gene-  
rosū, imo Achillem nostri temporis salutare non dubitat, Decur. II. Curios.  
Medic. anno 3. p. 444. & simul addit: In cuius validissimè proruentis, & primi  
sua signa in hostium castra defigentis paludamentum qvot nascente die deplus-  
bant occisorum suā manu Centaurorum sanguines, tot præconiorum adores  
immortalis gloria capiti ipsius nedit.. Cujus & in laudibus totus est Kirch-  
majerus, Phosphorus celeerrimus, Gratulatorio Panegyrico anno 1683.  
Dominica XVIII. post Trinit. solenniter habito, inter alia, Actis inqviens, in  
fugam & multatis male Thracibus ELECTOR Serenissimus SAXONIÆ,  
evaginato ense, cum imperio supremo inter suos volitans, sinistræ Ductor alæ,  
ordines, non redditurus ante, qvam vidisset superatum hostem, rediit in columnis  
ad nos divina ope Dominus & Nutritor clementissimus. Qvod Romani Ora-  
toris, Antonii de Amadoris, fuerit de Serenissimo nostro judicium, ex ver-  
bis Orationis ejus constat, qvā Saxones fortissimos haud indignos dicit illius im-  
perio Principis, à quo gloriofissimè ducebantur..

Nos, qvorum humilis pietas parum valet admodum, DEO Clemencissimo hac de causa & publicè in Ecclesia, & privatim cum nostris egimus gratias, submisse rogantes, ut posthæc gladiis Electoralibus benedicere, & contra hostes Veritatis & Verbi sui, qvod æternum fore non tam speramus, qvam illius vi confidimus, acuere, Uncumque suum defendere velit accuratissimè. Sic fulgebunt illi plus ultra, maximè cum in cœli templis hodiè repositi, illisqve fortissimi Ducas sui nomen sit inscriptum.

*Rupes sece, ra Medicus, Jo. Tardo eosdem Sidera Burtonica, & Car. Malapertius Au-*  
*niventia* Quemadmodum enim Galilæus Galilæi qvatuor Jovis satellites Side-  
ra Medicus, Jo. Tardo eosdem Sidera Burtonica, & Car. Malapertius Au-  
niventia in honorem suorum dixerunt Principum, Observ. Jo. Andr. Bosio disp. de Meteor. Heliac. Lips 1654. pro loco habita cap. III. parag. 5. Ita ad exemplum celeerrimi Hevelii, qvi & ipse Scutum Sobiescianum Regis Poloniæ inter sidera demonstravit, solertissimus Lipsiæ Astronomus, Godofredus Kirchius, depictedos ostendit gladios Electorales, qvorum stellæ, cum Herois nostri nomen commodè referant, non interitur am unquam tanti Princi-  
pis gloriam non vano omne pollicentur.. Acta Erudit. Lipsiens. anno 1684.  
p. 396. Qvæ nobis anno præterito, cum Candidato cuidam Magisterii carmen mense Januario mittendum esset, materiam scribendi pepererunt in hunc modum:

*Dic qvibus in templis inscriptæ, Buickie, stellæ  
Nostræ Electoris nomina bina sient?  
Ecce duo gladii vigilis sub crure Bootæ  
Eos hostes Hesperiosq; petunt.  
Virosus serpens contra revolubile volvit  
Corpus. Quid? certam fert Ophiuchus opem.  
Hæc mihi si lituo monstraveris ordine, verè  
Vel nostra egregius laude Magister eris. &c.*

Sumtum verò est illud gladiorum symbolum à Thuringiæ Landgraviis &  
Misniæ Marchionibus cum ipsa dignitate, qvam in Serenissima hac gente pri-  
mum Sigismundi Imperatoris gratia anno 1423. die Epiphania Posonii Fri-  
derico Bellisco, Heroi inter paucos contulit, à quo in posteritatem hucusqve  
propagata est. Spener. Insignib. Saxon. sect. I. fine. Qvoad annum consen-  
tit Fabricius & ex illo Bucholcerus; sed 1426. vult Calvisius, & qvi hunc se-  
qvitur Sigismund. à Bircken in Chronic. Saxon.

Ita

Ita singulari gladius Electoralis ornamento divinitus duodecim concessus fuit Electoribus è Serenissima, qvam diximus, gente, qvorū sex priores in theatro exhibuimus anno præterito, sex verò reliqvos alio nos tempore exhibituros è monumentis qvasi revocatos sumus polliciti. Qvia ergò vitam & vires clementissimè concesfit nobis Omnipotens, ut promissis stemus, par est, si non, ut volumus, tamen ut possimus, cum supra posse nemo soleat obligari.

Qvod itaqve DEUS ipse faustum esse velit, futuro XXII. Aprilis, horis pomeridianis theatraali in exercitio seqventi prodibunt ordine

*Prologus*, Georgius Christophorus Andreæ, Blanckenstein.

*MAURITIUS*, Joh. Gottfriedus Müller/Mülbergens.

*AUGUSTUS*, Joh. Jacobus Donati, Dresdens.

*CHRISTIANUS I.* Joh. Jacobus Barthel/Papendorf.

*CHRISTIANUS II.* Gottfr. Nathanel Schmidt/Lauenstein.

*JOH. GEORGIUS I.* Joh. Fridericus Bohemus, Ehrenberg.

*JOH. GEORGIUS II.* Joh. Georgius Scharff/ Reichstad.

*Epilogus* Evcharisticam addet Oratiunculam Christianus Kloß/Stollbergens.

Qvos omnes, octo numero, cum Patronis & Præceptoribus valedicturi, & à subselliis scholasticis, nemine contradicente, ascensi sint ad Academica, merito suo dimittimus, illisqve divinam in studiis benedictionem & felices inde rerum successus toto precamur corde.

Qvia verò & alii, anteqvam removeatur Theatrum, sunt prodituri, placuit, habita temporis ratione, Triumphum Christi è Cornelio Schonæo, ad excendam memoriam & pronunciationem, ut & excitandos in animis Spectatorum pios affectus, iisdem ediscendum proponere, qvo ipso si plausum obtinuerint, immensum Virtutem laudatam calcar habituram nullum planè est dubium.

*Prologum* ergo recitat Joh. Andreas Ziegius, Dresdens.

*Periacham* Martinus Dohle/ Martinid. Bohemus.

*Thrasonis* partes suscipiet Christophorus Rammerwurff/Rudstett. Thür.

*Sangæ*, Gottfriedus Hauptmann/Dresdens.

*Donacis*, Johannes Weise/Wilstruv.

*Similationis*, Jacobus Grauschütz/Lommacens.

*Magdalene* Personam induet Joh. Friedricus Oßwald/Dresd.

*Marie*, Georgius Christianus Schumann/Belgerens.

*Salomes*, Johann David Kupffer/Palæo-Dresd.

*Angelus* erit Johann Christianus Herold/Liebstadiens.

*Iesus*, Salomo Hahn/Glauchens.

*Caiphas*, Johann Elisæus Nathusius, Sonnewald Lusat.

*Annas*, Joh. Ephraim Zapffe/Wesensteinens.

*Petrius*, Benjamin Löbelius, Milcavicens.

*Johannes*, Johann Christophorus Graunius, Strignicens.

*Thomas*, Benedictus Benjamin Mirus, Wiedricens.

*Cleophas*, Gottfriedus Creidelius, Reichstadiens.

*Lucas*, David Gœsgenius, Mega-Thymilicensis.

*Plausum tandem petet* Johann Andreas Ziegius, Dresd.

Habebuntur hæc in Nobilissimi & Amplissimi Senatus nostri Refectorio, ita qvidem, ut singuli Electores singulis actibus præmittantur, præter Johannem Georgium II. qvem Epilogus excipiet. Venite Patroni, Fautores & Amici, venite, inqvam, & judecate, qvos, qvales, qvantos profectus nostri faciant Discipuli, & patrocinio atq; benevolentia vestra animos erigite Docentium æqvæ ac Discentium. Ita propitius vobis Deus per vota nostra nunquam desinet benefacere. Valete cum Vestris omnibus & singulis divinæ sub alis clementiæ, & tandem aliquando Christo triumfanti encomiū canentes æternos cum illo agite triumphos. Dresdæ dab. XIX. Aprilis M DCLXXXVI.

NC.



conces-  
priores  
tempore  
ergo vi-  
sis ste-  
e nemo  
lis, ho-

i, placu-  
æo, ad  
animis  
si plau-  
nullum

hur.  
d  
ex  
f  
s  
t  
W  
a  
g  
b  
c  
ia

ctorio,  
Johan-  
ores &  
stri fa-  
Docen-  
nqvam  
ub alis  
s æter-  
XVI.

MC.



KOTF





F.K.34

de gladio electorali

27

Vc  
230

VAL

PATRO

OBSE

JOH

ICO  
ORIUM

VI.  
DUM

& AMICOS,  
MARE

VERENTIA

NOLFUS,

